



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica x. post pentecosten

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

uobis, nescio uos. Qui ergo uult intrare in regnū
 celoz, nō solū scire desideret qđ uelit deo, sed etiā
 implere qđ iubet, qđ sicut dñs ait in euāgelio: Bea-
 ti gaudiunt uerbum dei, & custodiūt illud. Et ite-
 rum discipulis: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea.

Luc. 11.

Ioh. 13.

DOMINICA X. POST PEN-
 tecosten, I. ad Corinthios X.

FRatres, Nō simus concupiscētes malorū
 ciborum, subauditur & uitiorum, [sicut & il-
 li,] id est, Israelitæ. [concupierunt] carnes &
 pepones, & ea quæ in Aegypto habuerāt in usum
 comedendi. Ista ex superioribus uerbis Apostoli
 pendunt ibi dicit, omnia quæ iudæis contigerunt,
 in nostri figuram præcessisse, sicut & sequentia ma-
 nifestant: & in nostram salutem scripta esse, ut nō
 simus concupiscētes malorū ciborum uitiorumq;
 Quæstio est, cum Iudæi multitudinem animalium
 & pecorum secum haberent, quare desideraba-
 nt carnes, & quare non comedebant carnes ani-
 malium? Quæ hoc modo soluitur, quia nō deside-
 rabant illi carnes pecorum, sed carnes auium con-
 cupiebant, quibus soliti fuerant uesci in Aegypto.
 Nullus enim fluuius in littoribus suis & palustri-
 bus locis tam multa genera auium, sicuti Nilus, ha-
 bet: & talia, qualia non habentur in circuitu alio-
 rum fluminum. Fugiamus ergo concupiscentiam
 malam, & pugnemus contra eam in quantum ua-
 lemus: quia ut beatus Augustinus dicit, & in nobis
 quoque experimento probare possumus, omnia
 mala per illam fiunt atque patrantur. Concupi-
 scentiam autem malam ideo dixi, quia & concu-
 piscentia bona est, de qua dicit Salomon. Fili, con-

Pro. 4
 16.27.

eupisce sapientiam. & Psalmista: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Concupiscentia autem mala est, que suggerit nobis, ut concupiamus cibos illicitos & ultra modum, ut faciamus homicidium & furtum, ut perpetremus adulterium ceteraque huiusmodi Ideo Apostolus uolens nos sollicitos reddere, donat nobis exemplum illorum Iudeorum, qui per concupiscentiam offenderunt deum in eremo, & perierunt.

Neque idololatram efficiamini, sicut quidam illorum. Subauditur, qui uitulum fecerunt ad montem Sinai quemadmodum scriptum est in Exodo. Idos graece, dicitur species siue forma. inde diminutiue dicitur idolum, formula ex aliquo metallo siue ex lapidibus & lignis. Latria quoque graeco uocabulo dicitur seruitus, que omnipotenti deo soli competit Ex quibus nominibus componitur & dicitur idololatra, qui honorem & seruitutem, quam omnipotenti deo soli debet exhibere, idolis impendit. inde & idolatria, ipsa res.

Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

Veterem historiam hic tangit Apostolus Egressi filij Israel ex Aegypto, dum peruenissent ad Sinamontem, Moyse ascendente in montem ad deum, & morante aliquantis diebus, conuenerunt ad Aaron petentes ut faceret eis deos, qui illos prederent, & dicentes: Fac deos qui praecedant nos. Moyse enim qui eduxit nos de Aegypto, nescimus quid acciderit. Tunc sicut historia narrat, accipiens ab eis Aaron armillas & in aures, fecit inde uitulum constabilem, quem colebant Aegyptij Statimque edificantes

aras ante illum, immolauerunt ei hostias, dicentes: Hisunt dii tui Israel. &c. Completoq; sacrificio, sederunt ad manducandum & bibendum, ac postmodum surrexerunt ludere, ad diuersa ioca & ad choros, & insuper fecerunt fornicari. Quapropter multitudo illorum interfecta est a fratribus suis, iubente Moyse & domino uolente. Quod factum ideo replicat Apostolus, ut non se crederent Corinthij immunes esse a crimine, qui in idolo epulabantur. Idololatra quoque est omnis auarus, qui nummum quasi deum colit, timens deum amittere.

non

Nec fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt. Subauditur, cum Madianitis. & ceciderunt una die uiginti tria millia.

Nu. 25:

¶ Hoc in terra Madian factum est, & hoc retributum est illis, quando cum Madianitis se macularunt, adorantes primum idola ante ostia domorum illarum, nam Balaam ariolus filius Beor, cernens animos Iudaeorum pronos ad libidinem, & proplicios ad idola colenda, seductus & captus amore pecuniarum, dedit Balac regi Moabitarum atque Madianitarum consilium, ut constitueret puellas iuenculas & meretrices in domorum ostijs, coopertas ornamento meretricio, & ante ostia domorum idola & aras, ut uenientes Israelitae, caperentur amore illarum, & coiret cum illis: ita tamen, ut primum adorarent idola. Quo facto, cognouit ipse iram dei contra illos excitandam. Unde factum est, ut uiginti tria millia ab igne caelesti consumerentur, & pene omnes perissent, nisi Phinees zelatus zelo domini, confodisset cuspide uirum Hebraeum cum Madianitide scorto in locis genitali

bus. cuius rei causa, quieuit ira dei a populo. ¶ **No**
 tandum quoque, quia non solum illi dicuntur, & sunt
 fornicatores, qui quocumque modo sic libidinem su-
 am explent, sed etiam illi, qui per alia uitia a deo
 recedunt. de quibus dicit Psalmista, Perdes omnes
 qui fornicantur abs te, id est, qui recedunt a te. **Psal. 72.**

Neque tentemus Christum, sicut quidam
 illorum tentauerunt.
 subauditur, Moysen, qui Christi figuram gerebat,
 uel etiam ipsum Christum tentauerunt, qui erat in
 Moyse, sicut ipse Moyses dicit: Nos quid sumus?
 non contra uos est murmur uestrum, sed contra **Exo. 16.**
 dominum. Christus enim qui est uerbum patris,
 ipse erat in Moyse, & ipse loquebatur per os eius.
 & quando tentabant Moysen, & quando murmu-
 rabant contra illum, contra dominum murmura-
 bant. Sed quid contigit illis? Perierunt a serpenti-
 bus ignitis, qui utrumque faciebant, & mordebant,
 mordendoque uenenum infundebant. **Reducit ergo Nu. 21.**
 Apostolus talia ad memoriam: & commonet, ne
 nos in eadem causa tradamur diabolo, cuius figu-
 ram serpentes habent.

Neque murmuraueritis,
 subauditur, contra deum, neque contra prelatos & rectores,
 sicut quidam illorum murmurauerunt,
 Dathan uidelicet & Abiron, sociique eorum con-
 tra Moysen & Aaron.
 & perierunt ab exterminatore,
 deo uel igne. Dathan uero & Abiron cum omni do-
 mo sua exterminati sunt de superficie terre a deo; **Num. 16.**
 quia precipiente deo, uiuos deglutiuit eos terra: fu-
 eruntque antea sepulti, quam mortui, qui, sicut scri-

ptura narrat, uiui descenderunt in infernum, Socij uero illorum, qui in ipsa conspiratione similes extiterunt, ab igne caelesti exterminati sunt. Murmurare autem est plerunq; falsa ad inuicem de p̄positis & rectoribus queri atq; causari. Plerunq; etiam solet murmur fieri & iusta ex causa, quādo p̄lati non simpliciter recteq; erga subiectos incedunt, Tamen quocunq; modo nascatur & fiat, malum est. Et uē illi, quo excitante peruenit, siue sit p̄lati siue subiectus. Dicit beatus Augustinus, quia in nulla causa ita offenderūt Iudæi deū in eremo, sicut in murmuratiōe, qm̄ semp̄ murmuratores extiterunt. Quapropter cauēdū est omni modo ab huiusmodi uicio, ne similia nobis eueniāt.

Hæc autem omnia, superius dicta de serpentibus & de igne, qui eos deuorauit, in figura contingebant illis.

¶ Videamus quomodo serpentes igniti, quibus illi traditi sunt, in figura fuerunt, & serpens æneus, qui suspensus est a Moysē in ligno quem q̄ aspiciēbant, sanabantur. Serpentes illi qui mordēdo uenenum infundebant, demones significāt, qui suggerēdo nobis uenenum mortiferæ delectationis infundunt. Quibus etiam tradimur, si serpentem æneum in ligno pendentē non aspiciamus, id est, Christum. Serpens æneus, qui similitudinem serpētis habebat, sed tñ uenēnū nō habebat: q̄ ē qui aspiciēbant, mortem temporalem a moribus serpentium euadebant, Christum significat, sicut ipse dixit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Similitudinem er-

Ioh. 3,

ego serpentis habuit ille serpens, sed ueneno caru-
it: quia CHRISTVS similitudinem carnis peccati
quidem habuit, sed peccati uenenum non habu-
it. Propter hoc quod æneus fuit, significat æterni-
tatem CHRISTI, quia est durable æramentum.
Suspendus est in ligno, & Christus in patibulo cru-
cis. Qui illum aspiciebat, sanabatur a moribus
& ueneno serpentum: quoniam quicumque Chri-
sti passionem cum reuerentia ad memoriam re-
ducunt, & aspiciunt illum ad hoc, ut mortificent
corpora sua cum uitijs & concupiscencijs, saluan-
tur a suggestionibus dæmonū & ueneno prauæ de-
lectationis, & insup a morte æterna. Ignis uero il-
le qui deuorauit murmuratores, significat ignē eter-
num qui deuorat omnes similia agentes.

Scripta sunt autē ad correptionem nostram,
id est ad emendationem nostram, ut nos per ta-
p̄ia corrigamur.

In quos fines seculorum deueniunt.

quia nos iam in fine seculi sumus positi, in ultima
s. ætate. Nō sunt propter illos scripta, ut ipsi lege-
rent, qui tunc agentes, talia meruerunt recipere,
quia iam olim mortui erant: sed pro nostra salute
& utilitate, ut si timore horum in dei seruitio man-
serimus, gloriam illis promissam accipiamus, ter-
ram uidelicet repromissionis, quæ significat patri-
am caelestem. Si quo minus autē aliter egerimus,
geminabitur nobis pœna illorum: quoniam ma-
ior notitia legis plus facit hominem reum. Itaq;
qui se existimat stare, in rectitudine fidei bonisq;
operibus, & in scientia qua credit omnia esse mūda,
uideat ne cadat,

in superbiam, aut in scādalum fratris. Isto in loco tacite ac specialiter percutit eos, qui præsumentes de sua conscientia, quasi licitum sit omnia edere, quia omnia munda sunt mundis, recumbebant in idolis, & edebant carnes idolothyas: unde scandalizabantur simplices fratres, qui uidentes illos talia agere, putabāt aliquid numinis & deitatis esse in idolis atq; in cibis illis consecratis. Generaliter autem ad omnes pertinet quod dicitur, Qui stat in fide & in bono opere, uideat ne cadat.

Tentatio uos non apprehendat, nisi humana. In qua opere non perficitur. Tentatio humana est, malū cogitare, & in corde tentationes multas perpeti: diabolica uero tentatio est, certamine tentationis in opere superari, & malum perficere. Concupiscere mulierem, humana tentatio est: adulterium uero siue fornicationem perpetrare, diabolicum est. Sic de ceteris uitijis intelligendum.

Fidelis autem deus est,

qui quicquid promisit fidelibus suis, opere cōpleuit, complet quoq; quotidie & complebit. Promisit diligentibus se regna cælestia: complebit illud, quia dabit eis. Ideoq; non permittet eos tentari super id quod humana fragilitas potest ferre, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, id est, auxilium. [ut possitis sustinere.] id est, illud faciet prouenire, quod potest humana fragilitas ferre: uidelicet aut a tentatione & tribulatione citius liberādo, sicut legimus factum de beato Abraham, quando liberatus est de Hircanorum: Dan. 3. necnon de tribus pueris in camino, & de Daniele & 7. qui missus est in lacum leonum, & de innumerabi-

Gen. 11.
& 15.
Dan. 3.
& 7.

li multitudine martyrum: aut etiam in tentatione tolerantiam præbendo & uictoriam, sicut tribuit beato Iob, Petro quoque in cruce & Andrea, Laurentio quoque super craticulam, multisque alijs martyribus. Quis enim hominum posset credere, quod homo mortalis talia posset sustinere, qualia sustinuit Laurentius per adiutorium dei? Qua propter dum tales aut huiusmodi tentationes afflictionesque proueniunt, debemus ista ad memoriam reducere, omnemque spem nostram in deum iactare, ut ipse nobis faciat prouentum euenire citius liberando, aut etiam uictoriæ tolerantiam præbendo.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN. Luce XVI.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum. Et reliqua.



VSus sacrae scripturae est, ut aliquando iuxta literam sic quaedam facta commemoret, ut tamen intellectum spiritualem in eis requirat, aliquando uero solummodo per similitudinem quaedam proferenda commemoret, ut audientis animum ad intelligendum inuisibilia emolliat. Quod in euangelio frequentius

inuenitur, ubi ex præcedenti admonitione similitudo nascitur, & ex eadem similitudine admoni-

tio subinfertur. Quod utrunq; in hac similitudine cognoscimus, si præcedentia & subsequencia diligentius consideremus. Nam cū accessissent publicani & peccatores ad Iesum ut audirent illum, & murmurarent scribæ & pharisæi, ut supra euangelista retulit, proposuit eis similitudinem centum ouium, & unius perditæ & inuentæ. Deinde adiunxit similitudinem decem drachmarum, gaudiumq; dixit esse in cælo super uno peccatore penitentiam agente. Tertiam quoq; addidit similitudinem de prodigo filio, qui dissipauit substantiam suam cū meretricibus: postea uero quam egere cœpisset, misericorditer ac benigniter a patre susceptus est. Vbi cum ostendisset peccatores conuersos non solum non esse contēnendos, sed etiā recipiendos, ut animos discipulorum ad misericordiam prouocaret, conuersus ad illos, dixit: [Homo quidā erat diues, q; habebat uillicum. Ex qua similitudine exhortatio nota est, quā illa finita, dicitur: [Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis.] et reli. Sed quia hæc per similitudinē dicta sunt, quid spiritualiter significant, breuiter cōmemorare libet. ¶ Spiritualiter, homo iste deus omnipotens est, de quo scriptum est: Homo est, & quis cognoscer eum? Et, Ecce ueniet deus & homo de domo David. Qui bene diues esse dicitur, quia apud illum sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Cuius diuitiarum magnitudinem nec ille considerare ualebat, qui postquam ad tertium cælum ductus fuerat, dicebat: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uia eius. Illius uillici nos sumus, quos ad imaginem &

Rom. 11

similitudinem suam creauit, quibus etiam sensum & intellectum præbuit. Villicus enim a uilla nomen accepit, qui alienæ uillæ curam habere dicitur, quem nos œconomum, uel diulgato sermone dispensatorem possumus appellare. Et reuera magnas suas diuitias deus omnipotens nobis commisit, quando rationalem sensum & intellectum communem cum angelis præ cæteris creaturis tribuit. Male autem diuitias domini nostri dispensamus, quoniam sensum discretionis, quem ad usum boni accepimus, in usum conuertimus uitiorum. Diffamamur autem apud deum, quod dissipemus bona ipsius: quia non solum corda nostra conspicit, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, ut uideat, si est intelligens, aut requirens deum, sed etiam ab angelis deputatis nostra opera die noctuque illi nuntiantur, sicut uiro iusto ab angelo dictum est: Cum oraretis, ego obtuli orationes uestras ante deum. Siue certe diffamamur apud dominum nostrum, quando ex nobis ipsis malam opinionem damus, in tantum, ut pudorem uel reuerentiam pijs mentibus ingeramus, ut simus de illis, quibus ait Apostolus: Nomen dei per uos blasphematur inter gentes. Sed nunquid semper male diuitias domini tractabimus? Non. Audi sequentia.

Heb. 4.

Psal. 13.

Tob. 12.

Rom. 2.

Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tue. Iam enim non poteris uillicare.] Dupliciter nos uocat deus in presenti ad penitentiam, & in futuro ad iudicium. Vocamur ergo ad reddendam rationem uillicationis nostræ, cum de presenti uita ad eius iudicium ducimur, ubi non solum de opere, sed etiam de ocioso sermone rationem reddaturi sumus,

Eccēs. 9 Et post hæc non poterimus uillicare, quia post mortem (ut ait Salomon) nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos. Unde per Psalmistam deo dicitur: In inferno autem quis confitebitur tibi? subauditur, nullus. Quibus exemplis terribi, imitemur uillicum, qui in futuro sibi prudenter præuidit, dicens intra se:

Psal. 6. Quid faciam, quia dominus meus aufert a me uillicationem? Fodere non ualeo, mendicare erubescio, Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a uillicatione, recipiant me in domos suas. Fodere rusticorum est, mendicare confusionis. Fodiendo enim agitur, ut species terræ, quæ infra latet, extra appareat: & quæ exterius apparet, deorsum iacitur. Quid autem per fotionem, nisi confessio peccatorum designatur? Sicut ergo fodiendo terræ speciem uertimus, ita nomine compunctionis corda nostra exarantes, peccata quæ interius latent, per confessionem aperimus. Et inde ea ante oculos dñi abscondimus, quod per cordis compunctionem caminitris dei confitendo pandimus, sicut uoce penitentis in Psalmo legitur: Delictum meum cognitum tibi feci. Et iterum: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Unde in lege figuratim præcipitur, ut Israelitæ pergentes in itinere paxillos iuxta balteos ferrent, & egressi ad requirenda necessaria nature, fodientes in terram stercore humo operirent. Sicut ergo per paxillos cordis compunctio, sic per stercorea peccata designantur, dicente propheta: Cōputruerunt iumenta in stercore suo. Iubemur ergo paxillos habere iuxta balteos, ut quotidiana peccata quotidiana penitentia & compun-

Psal. 31.

Deut. 23

Iocl. 1.

ctione fodiendo cooperiamus. Mendicare enim,
 ut diximus, confusionis est, maxime illo pessimo
 genere mendicandi, quo fatuas uirgines legimus
 mendicasse, quando prudentibus dixerūt: Date no
 bis de oleo uestro, quia lampades nostræ extingui- **Mat. 25.**
 tur. Quibus dictum est. Ne forte non sufficiat no-
 bis & uobis, ita prius ad uendentes, & emite uo-
 bis. De quo genere pessimo mendicandi etiam per **Pro. 20.**
 Salomonē dicitur: Propter frigus piger arare no-
 luit, mendicabit ergo æstate, & non dabit ei. Aut
 ergo uillicus: [Podere non ualeo, mendicare eru-
 besco.] Quia post mortem nec fructuosam pœni-
 tentiam de malis agere licebit, nec in bonis exerce- **Pro. 1.**
 re, sicut uoce sapientiæ per Salomonē de reprobis
 dicitur: Inuocabunt me, & non exaudiā. Mane cō-
 surgent, & non inuenient me, eo quod exosam ha-
 buerint disciplinam, & timorē domini non susce-
 p̄nt, nec acquieuerint cōsilijs meis, & detraxerint
 uniuersæ correctioni meæ. Igitur quia in die iudi-
 cij nullus locus pœnitēdi, corrigendi uel emendā-
 di esse poterit, ut diximus, necesse ē ut dum in hoc
 seculo sumus & uiuimus, & nobis uacat, secundum **Gal. 6.**
 Apostolum: Dum tempus habemus, operemur bo-
 num ad omnes, maxime autem ad domesticos fi- **Ioh. 12.**
 dei. Vnde nos dominus in euangelio admonet, di-
 cens: Currite dum lucem habetis, ut non tenebræ
 nos comprehendant. Et iterum: Concorda cū ad- **Mat. 5.**
 uersario tuo in uia. Et per prophetā: Quærite do- **Isa. 65.**
 minum dum inueniri potest, inuocate eum dum
 prope est. Hinc & Apostolus ait: Ecce nunc tem- **2. Co. 6.**
 pus acceptabile ecce nūc dies salutis. Nemini dan-
 tes ullam offensionem, ut non uituperetur mini-
 sterium nostrū. Sed in omnibus exhibeamus nos-

metipfos, sicut dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta. Et Salomon: Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare. Ante enim omnia & super omnia, diem mortis ante oculos ponere debemus. Facile namque continent omnia, quae se semper cogitat moriturum. Vnde per eundem sapientem dicitur:

Eccles. 9 In die malorum ne immemor sis honorum, Et iterum:

Eccles. 11: In omnibus uis tuis memorare nouissima tua.

Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam & sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alius dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Dixitque illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. In hoc uillico, quem dominus de uillicatu eiciebat, non omnia debemus ad imitandum assumere. Neque enim aut dominus, aut extraneis fraudem aliquam facere debemus, ut inde eleemosynas faciamus: sed (ut superius diximus) ista per similitudinem dicuntur, ut intelligamus, quia si laudari potuit is, qui fraudem fecit, eo quod in futurum sibi prudenter prouiderit, multo magis nos laudabiliores erimus, si de proprijs substantijs largas eleemosynas fecerimus: & dum in praesenti uiuimus, in futurum nobis prospexerimus. sicut etiam de iudice iniquitatis, qui interpellabatur a uidua, comparisonem duxit ad iudicem dominum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus est, Cados enim graece, latine mensura est tres

urnas continens. Corus uero, triginta modijs impletur. Quod ergo de centum cadis olei, quinquaginta: & de centum coris tritici, octoginta a debitoribus scribi fecit, hoc insinuat, quia omnis qui de præteritis peccatis poenitentiam agit, non solum in se peccantibus clementer dimittere debet, sed etiam ex substantijs iuste acquisitis eleemosynas erogare, nec solum decimas & primitias: (ut in lege præceptum est) dare, sed ex reliqua parte indigentibus ministrare. Vel certe dimidium rerum suarum tribuere, sicut fecit Zachæus, qui cum suscepisset dominum Iesum in domum suam, ait: Dimidium rerum mearum do pauperibus: & si quid **Luc. 19.** alicui tui, in quadruplum restituum.

Et laudauit dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Non laudauit dominus uillicum iniquitatis, quod fraudem fecerat, sed quod sibi in futurum prudenter præuiderat, ut nos eius exemplo discamus, non hic habere manentem ciuitatem, sed futuram toto desiderio ingrere. Filij huius seculi dicuntur, quia hoc seculum mente & desiderio inhabitant. Sicut enim filij lucis dicuntur, qui inaccessibleem lucem, id est, deum toto corde diligunt: sic filij seculi huius uocantur, qui in seculi huius amore radices cordis plantauerunt, in quibus uoluntas esset sine fine peccandi, si possibilitas esset sine fine uiuendi, teste Petro **2. Petr. 2.** apostolo, qui ait: Cuius quis opera facit, eius filius appellatur. Ergo filij seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt, quia cum illi sint callidi astuti & ingeniosi, deceptores, duplices animo: isti e contrario simplices, humiles, puri, benigni, ne-

scientes malum pro malo reddere: & sicut isti simplices sunt in malo, prudentes uero in bono: sic illi sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. De quibus dominus ait: Vae qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobis ipsis prudentes. Qui recte in generatione sua prudentes dicuntur, quia tales non in generatione dei, sed in sua computantur, quia prudentia huius seculi, stultitia est apud deum. De qua prudentia Paulus apostolus ait: Prudentia carnis, mors est. Non enim de illis dicitur: Generatio rectorum benedicetur, sed potius inter eos enumeratur, de quibus scriptum est: Generatio praua & adultera. At uero de prudentia filiorum lucis dictum est: illa autem quae sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens. Finita autem similitudine, pius dominus ad nostram admonitionem sermonem conuertit dicens:

Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in aeterna tabernacula.] Quam sententiam quidam ita intelligendam putauerunt, ut aliena rapere, & inde pauperibus tribuere, hoc esset amicos facere de mammona iniquitatis. Quod quantum sit absurdum, & a religione alienum, manifeste patet. Non enim deus omnipotens aliena rapere iubet, qui propria praecipit largiri: nec dignatur de rapinis eleemosynam suscipere, qui per Prophetam clamat: Qui offert sacrificium de substantiis pauperum, quasi qui uictimat in conspectu patris sui filium. Unde per quendam sapientem dicitur: Unus aedificans, & alter destruens: unus orans, & alter maledicens, cuius uocem exaudiuit deus:

Isa. 5.

Rom. 8.

Psal. 111.

Mat. 12.

Iaco 3.

Ecci. 34

Mammona Hebraice uel Syriace, latine diuitiæ in
 terpretatur, q̄a Punice mammon, lucrum dicitur.
 Mammona ergo iniquitatis, istæ diuitiæ uocan-
 tur, etiã ex iustitia acquisitæ, & quæ ex iure paren-
 tum succedunt: quia cum labore acquiruntur, &
 cum magna sollicitudine custodiuntur, & sine ini-
 quitate aut uix, aut raro haberi possunt. Iubet er-
 go dominus amicos facere de mammona iniqui-
 tatis, id est, de diuitijs cum labore acquisitis ele-
 mosynam dare, ut (secundum quod ait Apосто- 2. Cor. 8
 lus) in præsentî uita pauperum inopiam diuitum
 abundantia suppleat: ut iterum in alia uita diuiti-
 inopiæ, pauperu abundantia sit consolatio. Ami-
 ci, quos de mammona iniquitatis facere iubemur,
 pauperes sunt & indigentes, q̄s deus permisit ege-
 re ad illorum purgationẽ & nostrã probationem.
 Quos nobis amicos facimus, quando eorum nu-
 ditatem operimus, eturiem reficimus, sitim extin-
 guimus, & in omnibus eorum necessitatibus sub-
 uenimus. Qui nos recipere dicuntur in æterna ta-
 bernacula, quia ille pro eis nos recepturus est, qui
 ait: Venite benedicti patris mei, percipite regnum,
 quod uobis paratũ est ab origine mundi. Esuriui
 enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis
 mihi bibere. hospes eram, & collegistis me: nudus,
 & cooperuistis me: infirmus & in carcere, & uisita-
 stis me. Et illis dicentibus: Domine, quando te ui-
 dimus esurientem, & pauperem: sitientem, & dedi-
 mus tibi potum: hospitem, & suscepimus te: nudũ,
 & cooperuimus te: infirmum & in carcere, & ue-
 nimus ad te: respondet Amen dico uobis, quãdiu
 uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis Hos ami-
 cos quia noluit habere ille diues, non in æterna ta- 2. Cor. 8
 Luc. 16.

- bernacula, sed in æterna pœna positus, aiebat: **Luc. 16.** Pater Abraam, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Aeterna tabernacula, diuersæ retributiones sunt meritorum.
- Ioh. 14.** quod dominus alibi declarat, dicens: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Audiat ergo hoc diues, audiat Christianus, discat tribuere minima ut possit accipere magna: quia qui in minimo fidelis est, ut dominus ait, & in magno fidelis erit.
- Luc. 16.** Discat dare transitoria, ut mereatur accipere æterna. Suscipiat pauperem in domum suam, ut suscipi mereatur a Christo in tabernacula sua. In his tabernaculis locum sibi optabat inuenire, qui dicebat: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Cui diuina uoce proxime responderetur: Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam, qui loquitur ueritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Qui iurat proximo suo, & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentes non accepit. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.
- Psal. 40.** Beatus enim (ait Propheta) qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus. Nam quantum uirtus elemosynæ ualeat, dominus manifestat, dicens: Dare elemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Et iterum: Cum facis prandium aut cœnam, noli inuitare eos qui te reuertent, sed uoca pauperes, & beatus eris, quia non

habent unde retribuāt tibi. Et alibi: Sicut aqua ex
 tinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatū. **Eccī. 3.**
 Vnde iusti uiri uoce dicitur: Fiduria magna erit co
 ram summo deo eleemosyna, in omnibus facien
 tibus eā. Et iterum: Filij, eleemosyna a morte libe
 rat, & nō patitur hominē intrare in tenebras. **Tob. 4.**
 Et rursus: Desudet eleemosyna in manu tua, donec
 inuenias iustum cui tradas eā. Et pauperes ergo
 iuxta possibilitatē suam eleemosynas tribuere de
 bent. **Tob. 4.** Vnde bonus pater erudiens filiū suū, ait: Fi
 li, si multū tibi fuerit, abundanter tribue: si tamen
 exigū, etiā exiguum libenter impartire. Ne em̄
 apud iustum iudicē executio de eleemosyna erit,
 q̄n etiam pro calice aquæ frigidæ mercedē se pro
 misit daturū. Aliter. Quidā autem hanc similitudi
 nē in Paulo apostolo impletā intelligi uolunt hoc
 modo. Homo iste diues deus om̄ipotens est, q̄ ha
 buit uillicū, s. Paulū apostolū, cui diuitias suas dis
 pēsandas cōmisit, q̄n secus pedes Gamalielis legis
 doctoris, iuxta ueritatē paternę legis eū erudiuit.
 Sed male diuitias dñi sui tractauit, q̄n legē carna
 liter intelligēs, Christianos p̄secutus est intantum,
 ut acciperet epistolas a principib⁹ sacerdotum, ut
 quoscunq; inueniret huius uiaē uiros ac mulieres,
 uinctos perduceret in Ierusalē. Diffamatus autem
 apud dñm suum, q̄n dictū est de eo: Dñe audiuit
 multis de uiro hoc, quāta mala sanctis tuis fecerit **Actu. 9.**
 in Ierusalē: & hic habet potestātē a principibus sa
 cerdotū alligādi om̄es, q̄ inuocāt nomē tuū. Cū q̄
 fama p̄secutiōis eius ad dñm ascendisset, p̄ gen
 te eo Damascum, uocauit illum dñs suus de celo,
 & ait illi: Saule Saule, qd̄ me persequeris? Durū est
 tibi cōtra stimulū calcitrare. Quod ē dicere. Quid

hoc audio de te? Redde rationem uillicatiōis tuæ,
iam non poteris uillicare, id est, iudaizare. Ac si di-
ceretur: Quia usq; hodie legis doctor fuisti carna-
liter, discipulus ueritatis incipies esse spiritualiter.
Villicus dicitur, qui super alienam uillam curā ge-
rit. Super alienam quippe uillam curam gerebat
Paulus, quādo legem per Moysen datam carnali-
ter docebat. Sed ablata est ab eo uillicatio, quan-
do carnalis lex non carnaliter, sed spiritualiter ei
intelligi praecepta est. Ait autem uillicus intra se:
Quid faciam, quia dominus meus aufert a me uil-
licationem? Quasi diceret: Quid faciam, quia
magister fui in carnali doctrina legis, & uillicus
& discipulus cogor esse & operarius spiritalis
legis? Fodere non ualeo, id est, doctrinam legis
perscrutari per memetipsum nequeo. Mendicare
erubescio, quia fidē Christianitatis ab Anania, quē
discipulum habui, discere uereor. Scio quid faciā,
ut cum amotus fuero a uillicatione, recipiant me
Christiani in domos suas, q̄s persecutus sum. Vo-
cauit q; duos debitores domini sui, Iudaeorum sc̄i-
licet populū & gentiū, qui ambo sub debito seu
iugo peccati constricti tenebantur: sicut ait Apo-
stolus: Nō em̄ est distinctio Iudaei & Graeci, om̄es
enim peccauerunt, & egent gloria dei. Et unū præ-
cepit de centum cadis olei, quinquaginta: & alteri
de centū coris tritici, octoginta scribere. Octoge-
narius numerus ad fidem resurrectionis pertinet,
quia dominus Iesus Christus, octaua die a mortu-
is resurrexit. Quinquagenarius ad p̄nitentiā, qui
am quinquagesimus Psalmus, in p̄nitentia est de-
cātatus. Et quinquagesimus annus in lege Iubileus
est dictus, id est, annus remissiōis. Iudaeorū ergo po-

Rom. 3.

pulo de cētū coris tritici, octoginta scribere fecit, q̄a resurrectionē Christi eū credere docuit. Gētilē uero de cēnario ad quinquagenarium uocauit, q̄a p̄ p̄nitentiā pristina mala illius corrigere, & deo appropinquare docuit. Et laudauit dñs uillicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, uidelicet Paulū apostolum, ex p̄secutore p̄dicatore factum, in doctrina & p̄dicatiōe magnificauit, dicens de illo ad Ananiā. Vade, quia uas electionis mihi est iste, ut **Act. 9.** portet nomē meū corā gentibus & regibus & filiis Israhel, impleta p̄phetia q̄ Iacob olim, cum bñ dice- **Gen. 49.** ret filios suos, p̄phetauit, dicēs: Benjamin lupus rapax, mane comedit p̄dā, & uespere diuidet spolia. De tribu autē Benjamin Paulus apostolus fuit, **Phil. 3.** ut ipse testatur. Qui uelut lupus rapax in p̄secutione Christianorū exarsit. Mane comedit p̄dā, q̄a in adolescētia ecclesiā dei p̄secutus est. Vespere diuisit spolia, q̄a postq̄ ad fidem Christi cōuersus est, eos q̄s de potestate diaboli uictor obtinuit, ad p̄dicandam fidem, quam prius persecutus fuerat, in diuersas nationes destinauit.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN, I. ad Corinthios xij.

Fratres, Scitis qm̄ cum gentes essetis &c.

Reducitur ab Apostolo Corinthijs uitæ pristina cōuersatio in notitiā, ut ex eius consideratione crescant in nouam conuersationem: quoniam sicut gentiles uiuentes feruebant in mendacio & errore, quia illa cultura nihil erat, sic iam Christiani diuinis præceptis cum feruore animi debebant obsequi. Gentes autem siue gentiles appellantur, qui ab errore patrum suorum,